Bibliothèque numérique

medic@

Leclerc, Antoine - candidat / Saint-Yon, Antoine de - président. - An ab immoderato potu decocti Café sterilitas ?

1695.
Paris
Cote : ms 80 n°1492

PARIS biuSanté

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x09x1492

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ Septembris.

M. ANTONIO DE SAINT-YON, Doctore Medico Regis ordinario, Præſide.

An ab immoderato potu decocti Café ſterilitas?

INGENS maleficium naturæ [illegible], quæ reſpublicas civibus, familias liberis orbat, ſaluberrimam artem preſtabiliorum alloqui conſiliorum ſucceſſu ſæpiſſimè fruſtratur; utrique ſexui communis affectio eſt, in muliebri frequentior, per quam vir & mulier inepti naſcuntur aut redduntur ad generationem. Porro vitium iſtud quiſquis iniquioribus ſiderum quorumdam phaſibus adſcribit, injurioſum hic ultro ſe præbet in aſtra, quæ nata ſunt ad nocendum omnino nihil. Qui certis [illegible] amuletis, Carminibus, aut numeris imputat; ille plus nimio Credulus, cum Juriſconſultorum turbâ. Qui ſterilitatem in viris cum Hippocrate refert ad ſectionem venarum quæ ducuntur ponè aures, familiariſſimam olim Scythis; ille in Medicorum principis effata Religioſiſſimus. Innaſcitur [illegible] utrique ſexui, quem deficit principum partium integritas, in quo Conveniens deſideratur genitalium organorum apparatus; facit hanc, ipſam ars Cheirurgice; per Eunuchiſmum in viris, Caſtrationem in mulieribus, rariſſimam encheriſin, quam uteri totius extractionem dicare credas quin potius conceptaculorum in quibus ova conduntur exceſin. Quid quod medicamentis quibuſdam ſterilitas acceſſi narratur, & hæc machinatio, ſine preſtigiis ſemper, unde frigiditas. Eſt demum [illegible] quam vivendi ratio nimis exlex inducat, per uſum haud ſatis prudentem aliquot è rebus ſex non naturalibus appellatis.

FIBRARUM itaque cordis, quod ſingularis apud nos muſculus; cerebri, bronchiorum, hepatis, quæ ſingula glandulæ, villorum Elaſtica vis à cruore ſpirituum inope cietur ignaviter, ſuccos ut commodè non excipiant confitæ paſſim in ejuſcemodi retium areolis veſiculæ; tubuli ad fluidorum ſecretionem comparati hæc ipſa ritè non eluirient. Quidquid ſuperſtes à jugi ſanguinis reciprocatione relinquitur, id omne pauculum aut nequius eſto, quam quod in fœcundi ſeminis impendatur opificium. Sed & qui pleniſſimo de fonte derivari potuit idoneus ad ſemen humor, obſtructis præparantium vaſorum ductibus intercipiatur, aut ultra liberè progreſſus, inferat ſe ſe in prædia paſſillorum teſtium, attritorum à natura, colliſorum ab arte, prædia ſunditus vacua; inde præter caduci penis canalem, vel nihil prorſus, vel ſpe prolis dignum nihil emittetur. Similiter in mulieribus, ab arteriâ ſpermaticâ quantumcumque genialis ſucci vel puriſſimi deducatur; ovaria ſi defuerint, aut exiliora contractiorave, condere nequeant ova, continere, fovere ad tempus, excludere per tubas, negato ad uterum aditu, pinguedinis ſarcinâ graviorem, capacitatis anguſtiâ preſſum, conformationis typo diſſentaneum; conceptio planè nulla. Steriles denique ſiunt, vel principium partium integritate gaudentes, atque convenienti genitalium organorum apparatu, dum calidiorem & ſicciorem aëra totos vitæ ſuæ dies ducunt, aſſiduis vehementibusve ſeſe dedunt exercitationibus, vigilias agunt, curas ſuſtinent edaciores, cibo veſcuntur acriore, condimenta liberalius adhibent, vinum meracius & largiter, hauriunt, quot quot tandem mori hujuſce temporis obſequentiores, decoctum Café potant ultra modum.

ENIMVERO ſeminis efficientiam ad fœcunditatem duo conſtituunt, debita ejus copia, ſimul & ſalſarum ipſius ſulphurearumque particularum certa proportio; illarum puta quantitas multò major, harum multò minor. Conjugium autem iſtud ſpiritus animalis è cerebro per inſenſibiles nervos in teſtibus fuſis, juvante lymphâ, miniſtrâ fermentatione, formavit è cruore lectiſſimo. Hic ſi vel reponatur infrà quam ſat eſt, vel quod illius reponitur, ſalibus circumſluat adventitiis; ſequitur ut juſta ſeminis copia non ſuppetat, exin quidquid illius fabricari poterit in teſtium officina ſpiritus, hoc pauculo balſamo pingui conditum procreetur, nimiocontra ſale, & acerrimo conſperſum. Sequitur ut ovaria junioribus in fœminis, velut in anubus, contrahantur, indurentur, areſcant; appellente continuò ſanguine ſalſis particulis impenſius fœto, tum quæ gignuntur illic ova, magnitudine numerove non augeantur, irrigata cruore quem muria ſaturat plurima; ſequitur tandem ut intra glanduloſos uteri parietes virile ſemen, quamvis fœcundum ſqualleat, quoniam hi ſalſo ſanguine quaſi cruſtati ſunt. Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara, frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando. Sed per abuſum rerum non naturalium ante memoratarum, & de ſeminis quantitate decedit non mediocriter, & ad ſalſam illius portionem plus nimis accedit: cum particularum cruoris actarum citatiore motu, qualem hic ſupponi oportet, partim pereant aliquæ neceſſariò, partim aliæ vehementer incaleſcant. Ea propter meridionalium plagarum mulieres, venationi quotidianæ deditі, vigiliis diuturnioribus aut curis obnoxii, capediarum & ſalſamentariorum aucupes, ebrii, liberis ut plurimum orbi vivunt. Fatum ſanè cui ſe addicunt inſcienter quotquot Café decoctum helluantur.

CAFE' leguminis ſpecies eſt aut exotici ſeminis, ad fabarum noſtratium, ſed minimarum magnitudinem accedens, quibus & haud videtur abſimile, alterâ ſui parte rotundum, alterâ depreſſum magis, cum intermedii fiſſurâ, colore album inter ac ſubſoluteum, quod ubi pinguius graviuſque, præſtantiſſimum audit. Café vires ei ſic hærent in intimâ ſubſtantiâ, illas ut evocare proriſus [illegible], niſi poſtquam comminutum fuerit primò, tùm igni torrefacienti ſubjectum; cujus artificii, perinde & Café ritè coquendi methodus per uſum longiorem ab iis ediſcenda quibus blandior conciliatricula iſthæc habetur commendatiſſima. Seminis videlicet iſtius, quod terreſtre tenaxque, ſub alimenti ratione ſumptum craſſiorem ſanguinem proſterret, ubi per torrefactionem & coctionem aperti ſunt meatus, abſumptum attenuatumve uberrimum phlegma, ſpirituum ipſius cuſtos, expeditiſſimæ ad motum evadunt ejuſdem particulæ, agendo, impellendo, urgendo cruori mirabiliter habiles. Idcirco ſomnum arcet, cataphoricis affectionibus opitulatur, aſthmaticis prodeſt, urinas movet. Nimirum volatile ſal, quo turget ſemen Café, ſpiritus agitat, quorum pernicitas vigiliam invehit; aduſtæ præterea particulæ, quarum in Café maxima quantitas, olfactu guſtuque judicibus, inſinuant ſe in ſanguinem primò, tùm in nerveum laticem, quibus per inconcinnitatem ſuæ figuræ, per aſſiduæ mobilitatis importunitatem ſtimulos addunt efficaces, unde ſpiritus ad ſolita munia, reſeratis cerebri ductibus excitantur. Ab eorumdem ſalium abundantia cruor intra pulmones implicatus viſco, bronchiorum veſiculæ ſordibus irretitæ vindicantur in libertatem; portio tandem non exigua ſanguinis ſolvitur in ſerum, quod renum cribro purgatum illabitur in veſicam.

IGITUR inter activa ſeminis Café principia, ſal præcellens, alkali volatile, quo fermè unico dives eſt, temperato revera balſaminis quibuſdam particulis ad alimenti vices interdum accedentibus, quoniam inſidentem ventriculo ſiccum utcumque deliniunt. Sed poſitâ ſemel hac hujuſce ſeminis analyſi, cogitare eſt, actâ velocius & quaſi raptâ cruoris univerſi compage, per ingeſtum intemperanter ejuſcemodi potum, ſpiritus quos jugis exercet agitatio fatigatque, quos neceſſaria nervei liquoris adjunctio proinde fruſtratur. Carere copiis, quæ ſufficiant inſtaurationi, detrimentum in dies acceptum ex æquo repoſituræ. Agilitate quidem à Café ſibi donatâ paratiſſimi videntur ad tempus aliquod. At novarum auxiliariâ manuum acceſſione non recreari, ſenſim pedetentimque faticunt. Verum præter maximam hanc ſeminalis materiæ melioriſque penuriam, ejus inſuper ſulphureæ particulæ, à ſpirituum [illegible] pauciores, eâ quantitate cohiberi, colligi copulative nequeunt, quæ par fuerit ciendo intra teſtium laqueos, ovariorum ſiliquas, uteri fundum, multiplici fermentationis motui, conceptionis opificij prodromo. Quid quod ejuſdem materiæ ſeminalis quantulæ cujuſque phlegma pauculum, ut pote à perenni quem patitur aſſiduè ſucceſſu propè vaneſcens, tantâ diſcriminis intercapedine non poteſt ampliari, quantam varij elegantis iſtius [illegible] apparatus abſolutè requirunt. Inde vacuitas in teſtibus à ſemine utili, vacuitas in ovariis à germine frugifero, deſerta in utero cruſtato vaſtitas, operatiſſimo fœcunditatis officio in totum adverſantur.

Ergo ab immoderato potu decocti Café ſterilitas.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS LE CLERC, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

An ab immoderato potu decocti Café sterilitas ? - page 1 sur 1